

Gramen hoc mihi enatum est ex Tuis missis seminibus: *Agrostis calycibus mucronatis*, corollis calycem aequantibus basi pilosis. Muticum est, et difficillime dignoscitur.

Inclusum folium arboris pinnatum desumsi in hybernaculo, recusat florere uti *Burseria*, habet spinas triacanthas uti *Gleditsia*, est ex Indiis. an arborem vidisti et genus noveris?

Inclusa mitto semina *Zinniae fl. rubris*, *Browalliae*, *Trianthemae*, *Xanthii orientalis*, *Ethuliae*, et in calycibus istis pilosis novi generis *Forskåhlei*, quod genus nullus alius extricare potest, nisi qui sit versatissimus. *Glinus*. Seras haec semina primo vere in caldario.

Habere jam pro Te exemplar novae editionis generum plantarum, et *Musei reginae*, si mittere possem.

## 31.

Botanico illustri DD. Nic. Jacquinio s. pl. d. Car.  
von Linné.

Nuper vidi apud amicum, qui per urbem profectus est, Tuas novas rarissimarum plantarum figuras, n<sup>o</sup> 30, nec potui eas ullo pretio obtinere, nec textum inspicere; anxie itaque exspecto vernale tempus, quo queam Librum ex Belgio obtinere.

Nuper edidi dissertationem de *Opopalsamo* vero, cujus ramulum florentem a p. m. *Forskåhl* ex Arabia obtinui, est vero illud genuina species *Amyris*.

Scripsit ante annum idem *Forskåhl*, qui de Tuis nihil noverat, quod *Aegypti Psyllii* fascinent suos serpentes cum quadam *Aristolochia*, speciem vero non determinabat.

Accepi nuper integrum Herbarium ex 700 circiter plantis, lectis in Japonia et Java, singulis cum suis floribus.